

522

Sammelband

Leß
91

anz

3.

Fl 3346 = 6

IDEA
BONICON-
CIONATORIS,

Proposita

à

M. PETRO ERNESTO

TWEBOMIO, Hildesiae in

Patria Pastore Martiniano.



WITTEBERGÆ,


Sumtibus Haræd. D. Tobiaæ Mevii,

& Elerti Schumacheri.

Typis Heredum Melchioris Oelschlegelii,

ANNO M. DC. LX.





tè,
re
tal
ti e
cu
jul
du
Bo
cu
ad
us
ob
ma






In Nomine JESU!

Ι Δ Ε Α Σ

BONI CONCIONATORIS.

Proœmium.



Um bonus Concio-
nator sit Orator Eccle-
siasticus, qui textum a-
liquem Biblicum arti-
ficiosè disponere, eun-
dem explicare dextrè,
ad usum applicare ri-
tè, atque ita auditoribus suis aptè propone-
re promptus est: manifestum hinc, neminem
talem nasci; sed præceptis artis ac frequen-
ti exercitatione opus esse, ut id nominis ali-
cui tribui verè possit. Ut autem ideam hu-
jusmodi Concionatoris exhibeamus, ad
duo revocamus capita omne id, quod ad
Bonum Concionatorem pertinere alii do-
cuerunt. *Prius* Prærequisita proponit; quæ
ad personam *Concionatoris* spectant: *posteri-
us* Requisita sistit quæ bonus Concionator
observare debet, in ipsâ *Concione*, tum *for-
mandâ*, tum *habendâ*.

2
CAPUT I.

De Prærequisitis Concionatoris.

Prærequisita in futuro Concionatore considerare possumus juxta quatuor membra: 1. Φύσιν, 2. μάθησιν, 3. ἀσκησιν, 4. ἀρετῆς.

MEMBRUM I.

De Φύσει sive Naturâ.

§. 1. Ad Φύσιν referimus 1. aptitudinem quandam naturalem, 2. bonam educationem, 3. Justam ætatem.

§. 2. *Bonitas natura* vel maximè prærequiritur. Uti enim non ex quovis ligno fit Mercurius ; ita nec quilibet ad officium concionatoris aptus est, sed is demum, cui natura non negavit capacitatem ingenii, fidelitatem memoriæ, concinnitatem vocis, ac denique corporis quandam spectabilitatem, & decentem ad perorandum habitum. Videatur Alstedius *Rhetoricæ Ecclesiasticæ* pag. 206. ubi inquit : *Hæc quatuor præsupponuntur necessariò in futuro oratore Ecclesiastico, si non excellenter, saltem mediocriter.* Ad εὐφροσύνην hanc etiam referri potest *instinctus nature*, seu inclinatio quædam naturalis ad studium Concionatorium. Aptiores enim multò, cæteris tamen paribus, ad hoc sunt studium, qui quodam instinctu naturali du-
cti

Et illi sese dedunt, quàm qui invitâ prorsus naturâ concionatores fieri contendunt.

§. 3. Deinde *educatio bona* magni est momenti. Nam licet ingenium sit optimum; tamen, si negligatur *educatio legitima*, facillè fieri potest, ut *alacritas ingenii* torpescat & degeneret.

§. 4. *Ætatis* denique hîc habenda ratio. Puerilis enim ætas officio boni concionatoris minùs conveniens est, ob defectum requisitæ eruditionis & prudentiæ, utpote quæ in istam ætatem ordinariè non cadunt. Ætatem verò juvenilem hîc admittendam esse censemus. Neque enim juvenes & adolescentes ab officio Concionatoris arcendi sunt, si donis ac requisitis, Concionatori necessariis, sint instructi. Jerem. I. 7.8. I. Tim. IV, 12.

MEMBRUM II.

De Μαθήσει seu eruditione.

§. 1. Qui alios vult docere, ipse priùs necessaria didicerit, necessum est, Syrac. XVIII, 19. Hinc & in futuro Concionatore necessaria prærequiritur *eruditio*.

§. 2. Consistit autem hæc ipsa in cognitione quatuor potissimùm linguarum, Philosophicarum disciplinarum, atque articulorum fidei.

to-
em-
a pe-
nem
tio-
ere-
o sic
um
cui
fi-
cis,
ita-
um.
icæ
po-
ico,
Ad
tus
ad
im
unt
du-
ai



4

§. 3. *Quatuor Linguae*, quarum notitia necessaria est, sunt: vernacula, Latina, Græca & Ebræa. *Vernacule* quidem notitia cum primis necessaria est, quia in hac ad populum verba facienda sunt: *Latinae* autem; ut Scriptores Latinos, quales sunt v. g. Tertullianus, Hieronymus, Augustinus, Bernhardus &c. non tantum legere sed & intelligere concionator possit. *Græcæ* quoque linguæ notitiam prærequiri diximus, idque præcipue propter textum N. T. Græcum. *Ebræa* denique lingua cognitu necessaria est futuro concionatori, propter textum originalem V. Testamenti. Sufficit autem hic, si quis Grammaticæ Ebrææ præceptis imbutus, Lexico Ebræo, e. g. Buxtorfii, quod & perutile & comparatu præ aliis facile, commodè uti possit. Et proderit non parum futuro Concionatori, Philologiam S. Glasfii diligenter legisse.

§. 4. Nec minus necessaria atque utilis est cognitio *disciplinarum*, cum primis *instrumentalium* Grammaticæ, Logicæ ac Rhetoricæ, ut bene loqui ac scribere; ut rectè concludere; ut aptè disponere ac eleganter pronunciare possit. *Realium* quoque seu principalium disciplinarum aliqualis notitia requiritur, & prodest, etiam harum habuisse aliquam scientiam, præcipue verò *Me-*
ta-

aphysice, quæ rerum communissimas affectiones & distinctiones suppeditat; atque *Ethica*, quæ de virtutibus & vitiis tractat.

§. 5. Præprimis verò *orthodoxia* requiritur in Concionatore, atque ut formam sanctorum verborum retineat. Confer I. Tim. VI, 3, 4. it. v. 20. II. Tim. I, 13. Probè igitur teneat capita Catechismi, & compendium aliquod Theologicum articulorum fidei. Ubi præ cæteris commendationem meretur Compendium B. Hutteri, cùm id ex libris Ecclesiarum nostrarum Symbolicis maximam partem sit concinnatum. In id verò futurus Concionator incumbere debet sedulò, ut dicta cardinalia, quibus dogmata scitu necessaria rectè confirmantur, in promptu habeat, à memoriâ suâ promptè suggesta. Faciet huc Hortulus Biblicus Seberi, item summarium B. Lyseri. His memoriæ diligenter infixis, addi poterunt Syntagma Theologicum Himmeli, Exegetis A. Confessionis Menzeri, Institutiones Catecheticae Dieterici &c. Ut etiam aliquam controversiarum habeat notitiam. Antequam verò aliquis ad exercitium concionandianimum applicet, necesse ac salutare est, semel atque iterum Locos Theologicos, seu Articulos fidei, à vivo Præceptore Theologo, eoque orthodoxo. atque in docendo fideli & dex-

tro, explicatos, haut obiter, sed magnâ cû
 curâ ac industriâ, audiisse. Nam prorsus *αὐ-*
τοδιδακται sæpiùs pl^o detrimenti quàm com-
 modi afferre solent Ecclesiæ. Præterea in li-
 bris Ecclesiarû nostrarum symbolicis (qua-
 les sunt confessio Augustana, eaque invaria-
 ta. Eiusdem Apologia, Articuli Schmalkal-
 dici, uterque Catechismus Lutheri, & tan-
 dem Formula Concordiæ) non sit hospes
 futurus Concionator : nec minùs in sacris
 Biblîis sit versatus probè.

MEMBRUM III.

De ἀσκήσει seu Exercitatione.

§. 1. Usus atque *Exercitatio* uti in aliis
 negotiis maximè prodest; ita & Conciona-
 torem in suo officio facit expeditum ac
 promptum

§. 2. Ad hanc exercitationem referimus
lectionem, meditationem, scriptionem, & actum
concionandi, seu Exercitium Concionato-
 rium.

§. 3. *Lectio* sit assidua & frequens, in evol-
 vendis præcipuè S. Scripturæ libris. Psal. I. &
 CXIX. Joh. V. 39. I. Tim. IV. 13. Sacra itaq;
 Biblia assiduè legenda ac relegenda sunt, in
 vernaculâ cum primis linguâ, ut ita auditor
 verbis Scripturæ propriis, quantum fieri
 potest, informari queat ; ac promptus sit
 con-

Concionator allegare ea putat ex quo dictum aut historia &c. citantur. Quod quò commodius fiat, à lecturo sacra Biblia non inutiliter adhibebitur Isagoge ad libros Propheticos & Apostolicos D. Danielis Cramerii; vel Synopsis Biblica Joh. Pappi, Germanicè reddita & aucta per Matthiam Sothmann excusa hinc Witebergæ Anno 1648. item Memoriale Biblicum Matthiæ Martini.

§. 4. *Meditatio* prorsus necessaria est. Neque enim laudandi illi sunt, qui ex manica, ut vulgus loquitur, conciones excutiunt seu proferunt; sed diligenter volvendum mente ac revolvendum, quod publicè prolaturi sumus. Syr. XXXIX, II. Meditatio hæc debet esse frequentissima quoad lectionem Sacræ Scripturæ. Nunquam enim quisquam etiamsi ad Methusaleam ætatem pertingat, profundissimam sacrarum literarum abyssum exhaurire poterit.

§. 5. *Per* *scriptionem* intelligo præcipuè annotationem eorum, quæ in lectione Bibliorum, aut Theologicorum Scriptorum, occurrunt aut observantur ex Concionibus, quæ ab artificibus in concionando habentur & faciunt ad populum pro concione informandum, ut sunt v. g. probantia S. Scripturæ dicta, confirmantia exempla & illustrantia similia; item formulæ connectendi & affectus

Et *ius movendi*, quæ libello cuidam, ex muni-
diore chartâ compacto, inscribantur. De-
inde in disponendis textibus sacris se exer-
ceat futurus concionator, & cum primis sin-
gulis diebus Dominicis vel Evangelium ipsum,
vel dictum eidem congruens, quam conve-
nentissimè potest, disponat, & dispositiones
alicui libello inscribat. Hinc subsequenter
temporibus ipsi constare poterit, quomo-
do in hoc studio profecerit.

§. 6. *Exercitium quoque Concionatorium*
non est intermittendum, nec differendum
usque ad tertium, quartum, quintum aut
sextum annum, quem aliquis Studiosus in
Academia agit; sed præstat incipere primo
aut secundo anno, & se exercere primum
privatim in aliquo Collegio concionatorio,
deinde publicè in aliquo pago, atq; ultimo
tandem loco in templis oppidanis, ubi cœ-
tus auditorum est magis populosus. Hoc
autem exercitium non sit nimis frequens;
(si cum primis Studiosus adhuc in Acade-
miâ agat) sed sufficit, si singulis sex, aut ad
summum quatuor, Septimanis aliqua con-
cio habeatur.

MEMBRUM IV.

De aetate seu Virtutibus.

§. 1. Præter illa, quæ in Concionatore
præ

9
prærequiri diximus, etiam *Virtutes* sunt an-
notandæ, quæ in eo elucere debent.

§. 2. Possunt autem hæ in futuro concio-
natore diversimodè considerari, respectu
vel *Dei*, vel *proximi*, vel *sui ipsius*.

§. 3. *Respectu Dei* prærequiritur *pietas* seu
Numinis timor, qui est initium Sapientiæ,
Prov. I. Psal. CXI. Ad pietatem sectandam
hortatur Timotheum Apostolus I. Tim. VI,
II. Pertinet huc

(1) *fides*, sine quâ nemo potest placere Deo.
Ebr. XI, 6.

(2) *Dilectio Dei*. Unde Christus, Petro oves
pascendas tradens, prius ex eo quærebat:
Amas me? Joh. XXI, 15, 16, 17. Ex hac dile-
ctione fuit hoc, ut omnia ad gloriam Dei,
ceu ultimum ac primarium scopum, diriga-
mus.

(3) *Ardens precatio*. Nam nostris hîc non
est fidendum viribus. I. Cor. II. II. Cor. III.
Sed Spiritus S. assistentia imploranda est
precibus. Luc. XI. Orandum est tibi, con-
cionem concipienti, elaboranti, absolven-
ti, memoriæ tradenti, orandum, antequam
ingrediaris templum, in templo, cum ascen-
dis in suggestum. Placet hîc apponere pre-
cationem concionatoris, scandentis sugge-
stum, quam B. Balduinus *ὑπομνήμασιν* Ho-
miliarum in Evangelia præmisit. Hæc sic ha-
bet:

Cor,

*Cor, mentem, linguam, Tu rege, Christe, meam!
Veni sancte Spiritus, Veni dator munerum, dona
mibi os & sapientiam, ad annunciandum laudem
tuam: effice, ne quod verbum imprudenter mihi
excidat, quo possit Nominis Tui gloria, aut consci-
entia mea ledi. Fac, ut cum fructu doceam: ac-
cende corda auditorum, ut attentè & magna cum
reverentia verbum tuum audiant, atque inde e-
mendentur, Amen.*

(4) *Gratiarum actio.* Gratias enim ut agas
Deo, fas est, finitâ concione. Poterit hîc ali-
quis e.g. hac formulâ Eucharisticâ uti: *Gra-
tias Tibi ago, Domine Pater omnipotens, in Filio
Tuo Jesu Christo, cum Spiritu sancto, Deus bene-
dicte in secula, pro revelatione verbi tui. Hanc &
mibi, & illis, qui me audiverunt, cedere facias in
odorem vitæ ac salutis sempiternæ, Amen.*

§. 4. *Respectu proximi* requiritur *ejus di-
lectio.* Matth. XXII. ut ad gregis, seu Ecclesiæ,
ædificationem vel maximè respiciat: *I. Pet.
V, 2. Pascite gregem προθύμως, von Herzen
Grunde/uti noster B. Lutherus reddidit.*

§. 5. *Respectu sui ipsius* Concionator stu-
deat *honestæ & inculpata vitæ,* *I. Pet. V, 3.* Huc
pertinent *Temperantia, Modestia, Patientia,
Mansuetudo, aliæq; id genus virtutes.* Matth.
V, 16. Luceat lux vestra &c. De *Temperantiâ,*
Concionatori cum primis necessariâ, nota-
tu digna sunt verba D. Lucæ Osiandri in li-
bello

bello de ratione concionandi, p. 81. ubi sic inter alia monet: *Temperanter etiam vivendum. Qui enim in cibo, potu, & similibus rebus sunt incontinentes, memoriam extinguunt, & ingenium vehementer labefaciunt, ut ante tempus repuerascant, & Ecclesie eo tempore, quo maximo cum fructu potuissent, (quippe collectâ prudentiâ ex usu rerum) inservire nequeant.* Hucusque verba Osiandri. Præprimis autem *ratione concionis habendæ* in Concionatore elucet.

(1) *Prudentia*, ut rationem habeat accuratam temporum, locorum & personarum &c.

(2) *Humilitas*, ne propter dona concessa superbiat, aut alios contemnat, aut ad ostentationem & gloriolam captandam sit intentus. Videatur Pastorale Lutheri, M. Conradi Portæ quod egregium opus omnibus S. Ministerii Candidatis fit quàm commendatissimum) p. 25, 30. seqq. ubi multa habentur lectu dignissima, de humilitate in Concionatore necessariò requisita. Excitet autem Concionatorem ad humilitatem istam, reverentia erga Deum, qui in Ecclesiâ præsens est cum sanctis Angelis, Exod. XX. Matth. XVIII. I. Cor. XI, v. 20.

(3) *Fiducia & Animositas*, quæ oritur ex certâ auxilii divini promissione Jer. I, 8. Exod. IV, 12. Ebr. XIII, 5. Luc. XI. 13. Jac. I, 5. c. V. v. 16.

Ca-

Cavendum (verba sunt Osiandri l. c. p. 81.) *ne* (concionantes) *metu nos impelli patiamur, ut celeriter loquamur. Metus enim memoria multum officit: & celeritatem in dicendo facile sequitur dispositionis confusio, quam evitabimus, si præsenti animo (memores nostræ vocationis, & freti auxilio divino) verba ad plebem fecerimus.*

Denique commendatur in futuro concionatore *industria ac sedulitas*. Uti enim otium omnibus fugiendum est; sic præprimis illud vitandum est iis, qui concionatores sunt futuri, ut mature adfuefiant laboribus, qui satis multi ac graves in Ministerio Ecclesiastico sunt sustinendi, ei quidem, qui fideliter suo fungi velit officio.

Atque hæc de Prærequisitis boni Concionatoris dicta sufficiant.

Sequitur nunc



CA-

CAPUT II.

De Requisitis in ipsâ Concione.

§. 1. *Requisitâ*, quæ in ipsâ concione attendi debent, sunt duplicis generis: alia spectant ad Concionem *formandam*; alia concionem *habendam*.

§. 2. In Concione *formandâ* occurrunt sequentia:

I. Præcognitio textûs. II. Præloquium. III. Exordium. IV. Propositio. V. Tractatio.

§. 3. Circa concionem *habendam*, seu ad populum promulgandam, observanda veniunt tria: I. Memoria. II. Pronunciatio. III. Gestûs.

§. 4. Tùm de prioribus, tùm de posterioribus requisitis Concionatori observandis, ordine erit agendum, duabus in Sectionibus.

SECTIO PRIOR.

De Requisitis ad Concionem formandam pertinentibus.

ARTICULUS I.

De Præcognitione Textûs.

§. 1. *Præcognitio Textûs* omnino necessaria est; cùm is fundamentum sit totius Concionis;

nis, quæ illi superstruitur. Debent enim ea, quæ auditoribus proponuntur, textui Scripturæ, tanquam firmissimæ basi aut fundamento solido inniti, inquit D. Lucas Osiander l. c. p. 9.

§. 2. *Textus* nihil aliud est, quam certa quædam materia sacra concioni inde contexendæ apta. Tales textûs suppeditant præcipuè libri Scripturæ S. Canonici. Vid. D. Lucas Osiander in libello de Ratione Concionandi p. 10. ubi tutissimum atque utilissimum esse iudicat, peti textûs ex libris Scripturæ Canonicis. Ex libris Apocryphis textûs depromere necessum non est: si tamè inde petatur textus aliquis, videndum est, ut accuratè cum Scripturâ Canonicâ conveniat, ne transgrediamur præceptum Petri- num, quo sermonem instituendum esse docet de iis, quæ sunt λόγια θεῶν, eloquia Dei, I. Pet. IV, 11. Deinde textus desumitur ex Catechismo B. Lutheri, qui parvorum Bibliorum nomine venit, & exactè cum Scripturâ Canonicâ convenit. Quandoque etiam cantilena sacra in Ecclesiâ cantari solita ac fidei analogæ, textum concionis subministrare potest.

§. 3. Est autem textus vel *ordinarius* ac status, certis diebus, ut Dominicis, vel festis ordinariis dicatus; quales sunt pericopæ Evangeliorum & Epistolarum; vel *extraordi-*
dina-

dinarium & electus, qui pro ratione vel diversitate temporis, vel singularium personarum, vel singularis loci variat. In textibus *ordinariis* nihil temerè immutandum est. *Selectio* verò singularium textuum, singularibus personis, tempori & loco convenientium, à concionatoris prudentiâ atque industriâ vel maximè dependet. Quales sint hujusmodi textus, singularibus personis, tempori & loco convenientes, indicavit B. Balduinus in *Ideâ Dispositionum Biblicarum*, libello planè aureo, atque omnibus SS. Ministerii Candidatis utilissimo, parte III. c. 14. 15, 16.

§. 4. Porro circa textum id cum primis observandum est concionatori, *ut scopum ac summam ejus assequatur*. Id quod fiet

(1) Si textum diligenter legat ac relegat, non tantùm in vernaculâ, sed & in originali linguâ.

(2) Si autorem accuratè investiget, & num sub suâ, an verò sub aliena personâ loquatur, consideret.

(3) Si causam impulsivam & occasionem probè inquireat, quâ scilicet occasione & quo fine autor scripserit.

(4) Si antecedentia & consequentia studiosè ponderet, nec molestè ferat, si propter unum versiculum unum caput totum aut aliquot integra capita antecedentia & con-

B

se-

sequentia sint perlegenda, imò etiam integrum scriptum seu integer liber, uti monet B. Franzius de Interpretat. Script. S. præcepto secundo de intelligendis s. Bibliis pag. mihi 61.

(5) Si attributa, quæ sensum textus manifestum reddere possunt, ritè conferat inter sese.

(6) Si conclusionem benè observet, eamque ab argumentis, illustrationibus, amplificationibus, digressionibus & transitionibus accuratè separet.

(7) Si cautè prospiciat, ne sententiæ disparatæ misceantur, sed potiùs quælibet seorsim collocentur, & ad singulas referantur, quæ eo pertinent.

§. 5. Nec minùs necessarium est concionatori bono, attendere, *ad quod genus causa præsens textus pertineat*, de quo ad populum verba facturus est: an scilicet textus sit *Theoreticus* hoc est, vel Didacticus, vel Elencticus; an vero *Practicus*, h. e. vel Pædeuticus, vel Epanorthoticus, vel Consolatorius: an denique sit *generis mixti*, h. e. partim Theoreticus, partim Practicus. Quamvis autem omnis textus ita possit explicari, ut faciat ad doctrinam, ad redargutionem, ad institutionem ad correctionem & consolationem; tamen è primario scopo dividitur in
Theo-

Theoreticum & Practicum. A principaliori enim fieri debet denominatio.

§. 6. Ut verò Concionator invenire possit, ad quod genus dicendi textus, quem præ manibus habet, pertineat, necessum est, ut sciat *quinque* illorum *generum*, à quintuplici Scripturæ S. sine (ex II. Tim. III, 16. & Rom. XV, 4.) desumptorum, *naturam*, *objectum*, *species* & *argumenta*. Hæc ut eò rectius cognoscantur, de singulis breviter hîc aliquid est dicendum.

§. 7. Genus *Didascalicum* est articuli cujusdam fidei, aut historiæ sacræ, in thesi facta tractatio. *Objectum* sunt dogmata, religionis Christianæ, & quicquid in Scripturis docetur. *Species* hujus generis sunt historicæ narrationes, asseverationes, demonstrationes, testificationes, descriptiones personæ aut facti, &c.

§. 8. Genus *Elencticum* est dogmatum fidei in antithesi facta tractatio, quoad veritatis vindicationem, & falsitatis confutationem. *Objectum* hîc idem est quod in Genere Didascalico, scilicet τὰ ἠσκητά, seu credenda. *Species* ejus sunt textus Scripturæ accusantes, defendentes, exprobrantes errorem fidei, exostulantes, refutantes, negantes &c.

§. 9. Genus *Pædenticum* consistit in au-

ditorum ad mores homine Christiano dignos, instructione. *Objectum* ejus sunt virtutes morales, hominum Christianum decentes. *Species*, sunt textus præcipientes, laudantes, suadentes, adhortantes, petentes, commendantes.

§. 10. Genus *Epanorthoticum* consistit in vitiorum reprehensione & correctione. *Objectum* hîc sunt vitia, seu mali mores. Quo ipso facilè discernitur à genere Elenctico. *Hoc* enim circa *fidei errores & defectus*; illud circa *vitia morum* versatur. *Species* ejus sunt omnes illi textus, qui vel ad meliorem vitam revocant, vel à vitiis, quæ irreperunt, dehortantur: quales textus sunt vituperantes, prohibentes, disvadentes comminantes, improbantes, dehortantes, imprecantes &c.

§. 11. Genus denique *Consolatorium* agit de animi in adversis erectione. *Objectum* est homo afflictus, ob malum culpæ, pœnæ & probationis. *Species* hujus generis sunt textus continentés Sympathiam, querelam, promissionem auxilii & erectionem in adversis quocunque modo hæc fiat. Vid. Hülfem. Orator. Eccles. cap. 2.

§. 12. *Mixtum* genus ex jam dictis facilè cognosci potest. Nam vocamus hoc, quod non est unum & simplex, sed ex duobus aut plu-

pluribus mixtum. Sic e. g. in Evangelio Dominicâ XIV. post Trinit. ex Luc. XVII. duplex continetur genus: (1) *Didascalicum*, quia historica ibi habetur narratio, de sanatione decem leproforum; & (2.) *Epanorthoticum*, quia unâ complectitur vituperationem ingratitude.

§. 13. Cognito genere dicendi, & perspecto, ad quodnam ex illis textus explicandus pertineat; dispiciendum porro est futuro concionatori *de argumentis*, quibus in tractatione textus commodè uti possit.

§. 14. Sunt autem hæc argumenta vel *communia*, vel *propria*.

§. 15. *Communia* sunt, quæ omni textui tractando, cujuscunque etiam generis sit, inservire possunt, & petuntur ab analysi Grammaticâ, Logicâ & Rhetoricâ. Ex *Analyse Grammaticâ* depromuntur argumenta explicantiâ; ex *Logicâ* declarantia & probantia, ex *Rhetoricâ* amplificantia, ornantia & moventia.

§. 16. *Explicantia* argumenta subministrantur vel *Orthographica*, à genuinâ literaturâ & scriptione peritâ; vel *Etymologica*, à vocum significatione & *εὐφάσει* desumta, vel *Syntactica*, à phraseologiâ & idiotismis depromta.

§. 17. Ex Analyfi Logicâ peti argumen-
ta *declarantia* & *probatia*, dictum est. Illa
Themati simplici; hæc themati composito
inserviunt.

§. 18. Themati simplici inserviunt argu-
menta *declarantia* rem tractandam: quò per-
tinet Nomen, *topici*, Definitio, Divisio,
Causæ, effecta, proprietates, cognata, op-
posita &c. Quæ omnia ex libellis Logicis
conquiri possunt. Et hæc argumenta tantâ
suppeditant copiam, ut sæpe de uno inte-
gra concio institui possit: e. g. de fide con-
cionaturus poterit concionem habere de e-
jus causis, vel de ejus effectis, aliisve locis Lo-
gicis. Seligat autem concionaturus ea argu-
menta, quæ existimat themati declarando
aptissima.

§. 19. In Themate conjuncto occurrit *sub-*
jectum & *Prædicatum*: quæ duo non sunt con-
fundenda, sed probè observandum, quid
dicatur vel non dicatur de altero: atque ita
status controversiæ accuratè constituendus
est Hoc facto, conquirenda sunt *argumenta*
ad thema probandum idonea, & quidem ex lo-
cis *Topicis*, ubi nobis exhibentur argumen-
ta *inartificialia* & *artificialia*. *Inartificialia*
argumenta desumuntur à testimoniis, tum
divino, tum humano. Ac *divinum* quidem
testimonium maximam habet vim proban-
dis

di: unde etiam de divinis testimoniis maxime sollicitus esse debet Concionator ut appositè ea citet. *Humana* testimonia sunt *Scriptorum* vel *sacrorum* vel *profanorum*. *Scriptorum Sacrorum*, ut sanctorum Patrum testimonia parcè sunt adducenda, & adhibito iudicio. *Scriptores profani* parcissimè sunt adducendi in Concione, nec priùs quàm necessitas postulet. *Ethnicorum* autorum testimonia vel planè non; vel in confusionem Christianorum sunt producenda. *Artificialia* argumenta petuntur ex locis tùm *Nominalibus*, tùm *Realibus*. *Loci Nominales* exhibent argumenta sumta à nominibus terminorum, in themate probando contentorū. Qualia sunt, quæ ab usu & significatione vocum, ab etymologiâ & notatione nominis, à metalepsi, à conjugatis item, desumuntur. *Loci Reales* fiunt argumenta, sumta ex ipsis rebus, earumque naturâ & attributis realibus: ut à definitione & definito, à specie, à genere & differentiâ, à toto & partibus, à materia & forma, à causa efficiente, à fine, ab effectu, à subjecto, adjunctis, antecedentibus, consequentibus, circumstantiis, à simili, à dissimili, à comparatis, ac denique ab oppositis. Ex hisce autem argumentis omnibus Concionator eligat tria aut ad summum quatuor argumenta firmiora, & quæ

ad probationem thematis plurimum momenti habent. *Insigniora* autem *argumenta probantia* sunt testimonium divinum, definitio, causa, effecta, propria, contraria &c.

§. 20. *Rhetoricam* suppeditare *argumenta amplificantia, ornantia ac moventia*, supra annotatum est. Quanam verò sint illa *argumenta*, jam dicendum est.

§. 21. Ac primò quidem *Amplificantia*, quod attinet, desumuntur illa ex locis Logi-
cis, eo fine, ut ea, quæ declarata aut probata sunt, latius deduci possint, quò amplior fiat oratio sacra. Hujusmodi Amplificationes sumuntur e. g. vel à *descriptione rei*, quæ vivis quasi coloribus depingitur: vel à *Causis*, quæ indagantur, & latius exponuntur, ut sunt causa efficiens, tum principalis tum instrumentalis, tum impulsiva, causa item finalis: vel *ab effectis*, cum ob oculos ponitur, quot & quanta sint sive bona sive mala ex hoc vel isto provenientia: vel à *circumstantiis* personarum, loci, temporis, antecedentium, concomitantium, consequentium, modi item agendi &c. vel à *distributione*, ubi res in suas partes dividitur, exque singulæ enumerantur: vel à *comparatis* & similibus, ductis à rebus notis, non obscuris; vel ab *oppositis*: quò præcipuè illud pertinet, quando *præoccupando* solvimus, quod objici nobis poterat: quò
etiam

etiam pertinet *apparens textus* præsentis cū alio textu *pugna*, quæ removenda est, & ostendendum, utrumque textum bene conspirare, si penitiùs uterque inspiciatur. Ab his & similibus peti possunt argumenta amplificantiæ. Videbit autem diligens ac prudens Concionator, quænam amplificatiões suo instituto magis vel minùs sint commodæ, atque his relictis illas eliget. Possunt autem & hæc argumenta amplificantiæ ulterius illustrari dictis atque exemplis è Scripturâ S. petitis.

§. 22. Deinde argumenta *ornantia* subministrant figuræ amplificatoriæ, quæ ex locis Dialecticis oriuntur, & è Compendiis Rhetoricis cognosci possunt. Sufficiat hîc præcipuas nominasse. Ex *definitione* oriuntur Epexegetis & Expositio. Ex *Toto & partibus* oriuntur Distributio, congeries, Incrementum. Ex *Causis* oriuntur Ætiologia, Translatio & Gradatio. Ex *Circumstantiis* oriuntur Prosopographia, Topographia, Chronographia, *ἰστοτύπωσις*. Ex *comparatis* oriuntur Comparatio & Exemplum. Ex *Repugnantibus* oriuntur Antithesis seu contentio, Commutatio, Inversio, *ἀπὸδιωξις*.

§. 23. *Moventia* denique argumenta eò sunt directæ, ut moveant affectûs. De quibus prolixè & accuratè egit Dn. D. Hülseman-

mus in sua Methodo Concionandi cap. XI. qui omninò hîc consulendus est. Interim *præcipuos affectus* hîc annotare placet, ex quibus de cæteris fieri potest iudicium

§. 24. Possunt autem hi ipsi dividi juxta *officium veri Christiani*, quod est, agere pœnitentiani, & vitam homine Christiano dignam.

§. 25. Quod ad *Pœnitentiam* attinet, excitanda ibi veniant

1. *Dolor*, ob admissa peccata, ubi argumenta peti possunt à peccatorum turpitudine ac varietate, ab iræ divinæ & pœnarum gravitate, à beneficiorum divinorum ubertate, ab horrore, qui in agone constitutos invadere solet, ac denique à iudicii extremi severitate, aliisque id genus documentis.

2. *Fiducia* remissionis peccatorum & gratiæ divinæ suscitanda, petitis argumentis à misericordiæ divinæ amplitudine, à meriti Christi valore, à verbi & Sacramentorum efficaciam, ab hominum peccatorum à Deo in gratiam receptorum, exemplis, à suavissimis DEI invitationibus & promissionibus &c.

§ 26 Quod *vitam, homine Christiano dignam*, concernit, excitari hîc debent.

1. *Amor Dei, proximi & virtutum*. Et quidem *amor Dei* excitandus, argumentis de-
sum-

sumtis ab incomparabili Dei pulchritudine, à summâ Dei benignitate, quam satis offendunt ejus beneficia, tum communia, tum singularia; à filiorum Dei proprietate &c. *Amor Virtutum* suscitandus per amplificationem pulchritudinis Virtutum, per declarationem jucunditatis & utilitatis inde profluentium. *Ad Amorem proximi* movere potest Dei autoritas, nostra æqualitas, promissa præmia, piorum exempla &c.

2. *Timor Dei, metus poenarum & extremi judicii*, sumtis argumentis à Dei Majestate tremendâ, ab ejus omniscientiâ, omnipotentia, Justitiâ, veracitate. Deinde peccata hinc exaggerari possunt juxta varias circumstantias: poenarum item hinc ob oculos ponenda atrocitas, nec non judicii extremi exquisitissimi severitas &c.

3. *Odiu peccatorum, mundi & Satanae*. Ubi argumenta sunt: peccati foeditas, mundi malitia & pravitas, Diaboli vis & crudelitas, periculi ab hisce imminentis gravitas &c.

4. *Letitia ac spes in adversis*. Argumenta hinc possunt esse sequentia: Dei Misericordia & suavitas, calamitatis utilitas, crucis brevis, intercessionis Christi dignitas, Dei gratiosa præsentia, promissionum divinarum certitudo, precum efficacia, futura vitæ æternæ gloria &c.

5. *Mi.*

5. *Misericordia & compassio erga afflictos.*
 Ubi argumenta moventia sunt: misera hominis egeni & afflicti conditio, necessaria ex lege naturali & divinâ obligatio, rerum humanarum vicissitudo (nam simile nobis obtingere potest) Patris cœlestis, Christi Salvatoris ac piorum exempla, misericordiæ exhibitæ præmium, gravisimum contra immisericordiæ supplicium &c.

6. *Desiderium vitæ æternæ*, quod excitant varia in hoc mundo calamitas & infelicitas, Vitæ æternæ suavitas, bonorum in vitâ æternâ promissorum varietas, felicitas hujus perpetuitas & firmitas.

§. 27. Haftenus de argumentis *communibus* egimus: sequuntur nunc argumenta, cuilibet generi *propria*.

28. Quod igitur *primò* Genus *Didascalicum* attinet, argumenta in eodem petuntur ex illis locis, ex quibus argumenta communia, sive declarantia, sive probantia, desumi solent, e.g. à Personâ, & iis, quæ ad descriptionem personæ pertinent: à rebus & earum affectionibus, à mediis agendi, à modo, à fine, à tempore, à loco, à definitione, à divisione, à causis, ab effectibus, à cognatis, ab oppositis, & hujusmodi aliis, quæ ad rem describendam referri possunt, qualia sunt v.g. rei dignitas, necessitas, utilitas &c.

§. 29.

§. 29. *Deinde* in Genere *Elenctico* argumenta desumuntur à dicto Scripturæ contrario, ab inconsequentia, ab impossibili, absurdo, blasphemio, à contradictione, quâ sibi metipsum contradicit adversarius.

§. 30. *Tertio* in Genere *Pædeutico* argumenta sumuntur à mandato divino, ab æquitate naturali, à necessariò, ab honesto, ab utili, à jucundo, à facili, ab incommodo si omittatur, ab exemplo piorum &c.

§. 31. *Quartò* in Genere *Epanorthotico* argumenta depromuntur ex locis Generi Pædeutico contrariis, ut ab interdicto divino, à repugnantia æquitatis naturalis, à non-necessario, ab inhonesto, ab inutili, ab injucundo, à difficili, à damno, ab exemplo piorum contrario, &c.

§. 32. *Quintò* in Genere *Consolatorio* argumenta ducuntur à paterno Dei in nos affectu, à Christi merito & intercessione, à Spiritus sancti auxilio, à Dei providentiâ, à promissionibus Dei, liberaturi ex periculis, ab exemplo Christi & Sanctorum, à communi sorte omnium piorum, ab utilitate afflictionis, à brevitate ejusdem, à bonitate causæ seu puritate conscientie, ab excellentiâ futuræ gloriæ &c.

§. 33. Circa hæc omnia observari possunt ac debent tria:

I. Sin-

1. Singulorum Generum argumenta esse vel *insita* textui, vel aliunde ad textum *assumpta*.

2. Satius esse, argumenta textui *insita* dextrè pertractare in concione, ac singula Scripturæ S. dictis atque exemplis confirmare, quàm alia aliunde præter necessitatem assumere.

3. Ordinem tum generum, tum argumentorum cujusque generis, arbitrio prudentis concionatoris relinqui. Vid. Hülsemanni Orator. Eccles. cap. III.

§. 34. Tandem si Genus *mixtum* sit, ita ut plura genera in uno textu conveniant, argumenta quoque cuilibet generi propria, probè sunt discernenda, quod facili negotio fieri poterit. Quà verò utendum sit methodo in deductione quatuor Generum ex textu unius generis, præclarè monstrat Dn. D. Hülsemannus Oratoriæ Ecclesiasticæ capite IV. ubi & monita & exempla, huc facientia, legi poterunt. Sufficiat hic annotasse illud, quod prædictus Autor l. c. num. 12. in deducendis illis generibus attendendum esse monet, scil. hoc præcipuè advertendum, quæ species in quovis genere deducendo proximè conveniat illi generi, ex quo deductio reliquorum fieri debet; deinde annotata convenientissimâ specie, ulterius videnda

dendum, quod argumentum ex iis, quæ sub
certum Genus supra relata sunt, inventæ
speciei proximè conveniat. Atque hæc de
præcognitione textûs atq; argumentorum,
istî pertractando inservientium, dicta suffi-
ciant. Sequitur itaque.

ARTICULUS II.

De Concionis Elaboratione.

MEMBRUM I.

De Præloquio.

§. 1. *Præloquium*, sive ingressus Concio-
nis, est remotum ejus Exordium, & comple-
ctitur tria: *Votum, Excitationem, & Lectionem*
textûs.

§. 2. *Votum* concipi solet hac formulâ:
In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti,
Amen. Aut his verbis, quæ extant in II. Cor.
XII, 13. aut aliâ generali gratiæ divinæ im-
ploratione & appreciatione.

§. 3. *Excitatio* est, quâ auditorum animi
excitantur, & tria continet puncta: (1) *Scopum*, (2) *miseriæ humanæ indicationem*, (3) *di-
vini auxilii implorationem.*

§. 4. *Scopus* indicatur, quando exponi-
tur, quo fine hoc tempore in templo con-
gregati sint auditores, scilicet ad audiendû
verbum Dei, ut gloria Dei amplificetur, &
auditores ad salutem instruantur. Ubi hoc
notandum venit, valdè affici auditorem, si
sco-

scopus hîc è visceribus textûs sumatur e. g. Si textus Luc. XVI de epulone & Lazaro tractandus sit, poterit scopus congregationis his verbis proponi: *Convenimus, charissimi, hoc sine, ut audiamus Mosen & Prophetas, ne perveniamus in locum tormentorum, quò pervenit epulo, sed ut cum Lazaro ab angelis deportemur in sinum Abrahe.*

§. 5. *Miseria indicatio* desumi potest ex I. Cor. II, 14. ut & II. Cor. III. 5.

§. 6. *Imploratio divini auxilii* ita instituitur, ut rogetur Deus in Nomine Jesu Christi, virtute Spiritus Sancti ut nos ex alto induere velit, ut verbum Domini & rectè doceatur, & cum fructu audiatur. Quod ut à Deo impetretur, hortandi sunt auditores, ut unanimiter verâ fide ac devotione precentur submissè orationem Dominicam.

§. 7. Post orationem Dominicam *lectio textus* statim subjicitur. Antequam verò legatur textus, monendi sunt auditores, ut debitâ devotione ac reverentiâ attendere velint lectioni textûs præsentis; ubi etiam librum & caput, unde textus desumptus est, indicare debet concionator, atq; ita legere textum. Lectioni textûs quandoque subdi solet brevissima imploratio divini auxilii, ad fructuosam illius evolutionem. Sed potest imploratio illa assistentiæ Spiritûs sancti vel ad-

di,

di, vel omitti, prout visum fuerit Concionatori. Commodè autem additur, si textus paulò sit difficilior.

§. 8. Atque ita quidem *communiter* se habet introitus. In diebus autem festis, aut quando de peculiari quodam themate concio habenda est, *peculiaris* etiam, aptus temporis ac textui, fieri solet ingressus, vel per *hymnum* quendam, ejusq; ad præsentem solennitatem accommodationem, vel, si de magno mysterio aut re alioquin gravi dicendum sit *per silentii imperationem*, ut Hab. III, 20. aut *invitationem* ad auscultandum, ut Mich. I, 2. Ps. LXXXI, 9. & LXXVIII, 1. alata simul ratione, nos de re perquam ardua dicturos esse: vel etiam, pro ratione textus, fieri potest introitus, *dicto* quodam aut *exemplo* aut *simili*, aut *typo*; ubi *applicatio* fieri debet illius sive dicti, sive exempli, sive typi ad nostrum institutum. Præcipuè verò in Concionibus *Nuptialibus* & *Funebribus* peculiaris esse solet introitus; illic quidem à dicto gratulatorio; hic autem à Consolatorio desumptus, factâ simul applicatione commodâ ad præsentem sive sponfos, sive defunctos aut lugentes.

§. 9. Cæterùm circa hosce introitus notanda sunt præcipuè sequentia:

1. quòd non debeant esse proluxi, sed breves.

G

2. quòd

2. quod non debeant esse vulgares & viles, sed emphatici & eximii, à dicto vel exemplo pathetico desumpti.

3. quòd congrui esse debeant tractando themati.

4. quòd membra introitus aptè inter se connexa esse debeant.

5. quòd non in quavis Concione ejusmodi singularis introitus adornandus sit, sed cum singulare quidpiam dicturi sumus: quamvis consuetudini alicubi invecæ aliquid tribuendum sit. Ita mos Witebergæ obtinuit, ut fermè in qualibet concione peculiaris fiat introitus, aphorismo quodã, tractando themati congruente, aut alio pacto. Ubi verò hic mos usitat⁹ non est, ibi peculiaris introitus instituendus non est, nisi peculiari solennitate id exigente. Interim ubi hic mos viget, ut cuilibet concioni peculiaris introit⁹ præmittatur, meritò illa consuetudo retinetur, hoc tamen observato discrimine, ut Introitus in diebus festis aut aliis solennitatibus sint splendidiores, quàm in Concionibus minùs solennibus. Atque hæc de Introitu, seu Præloquio, breviter monuisse sufficiat.

Sequitur

MEMBRUM II.

De Exordio.

§. 1. Quamvis nonnulli quandoque post præmissum Præloquium sine alio Exordio statim

statim ad Propositionem & Tractationem accedere soleant, id quod fieri rectè posse, non negamus, præcipuè tunc, quando Introitus satis prolixus præmissus fuit, ipsique auditores Textus explicationem & applicationem avidè expectant: tamen non facilè, omitti solet Exordium, cum præsertim ita nunc usus obtinuerit, ut rarissimè concio habeatur sine novo Exordio. Cum igitur Concionatori de *Exordio* concioni apto, cogitandum sit, haud abs re erit, quædam de eo monere.

§. 2. Est autem *Exordium* illa Concionis pars, quæ lectionem textus imediatè sequitur, eoq; directæ est, ut benevolentia, attentio ac docilitas in animis auditorum excitentur.

§. 3. Notamus circa id tria: 1. *Regulas* quasdam generales, ad efformationem Exordii pertinentes, 2. *Inventionem*. 3. *Dispositionem*.

§. 4. *Regulae*, quas autores communiter in *Exordiis formandis* observari volunt, sunt sequentes:

1. *Exordiū sit textui conveniens, tum quoad propositionem, tum genus dicendi.* Quoad Propositionem Exordium sit congruum, ita ut affine ei sit & cognatum, non autem cum eadē prorsus idem. Quoad Genus dicendi quoque aptum sit Exordium. Nam in Genere *Didascalico, Elenctico & Consolatorio* verècundum,

modestum, & humile esse debet : In Genere verò *Epanorthotico* & *Pædemptico* arduum & sublime. Quò etiam pertinet hæc admonitio, nescit. *Exordium sit alienum aut longius petitum*. Quòd ut obtineatur, monet Hülsemannus cap. VI. consultum esse, ut Exordia post conceptam demum Concionem conficiantur.

II. *Exordia ita sunt adornanda, ut auditorè efficiant, & ad attentionem præparent*. Unde gnomis potiùs & acutis sententiis, quàm longâ Verborum propagine constare debent.

III. *Exordium aptè cum Propositione connectatur*. Quò faciunt connectendi formulæ à Dn. D. Hülsemanno cap. X. annotatæ.

IV. *Sit breve Exordium, nec facilè ambitum quinque periodorum excedat*.

V. *Non sit nimis ornatum ac splendidum, sed simplici aut mediocri stylo conscriptum*. Nam in illos, qui cum magniloquentiâ exordiuntur, sæpè quadrat illud Poëtæ : *Amphora cœpit Institui, currente rotâ vix urceus exit*.

§. 5. *Inventionem Exordiorum quod attinet, est ea vel generalis vel specialis*.

§. 6. *Generalis inventio est illorum locorû, qui suppeditant exordia omnibus concionibus communia*. Ita solent exordia plerumq; esse talia, ut generalè quandam thesaurum tractent, cujus species quasi sit textus pro
con-

Concione enarrandus. Hæc sumuntur vel à dicto Scripturæ, vel ab historiâ sacra, vel ab exemplo, vel à simili, vel à typo, vel à proverbio sacro, &c.

§. 7. *In speciali* inventione Exordiorum habetur respectus vel ad textum enarrandū, vel ad Dispositionem Concionis, vel ad Genus dicendi.

§. 8. *Textus*, ut supra monitum, est vel ordinarius vel extraordinarius. *In textu ordinario* peti possunt exordia vel ab *αινακεφαλαίως* seu brevi repetitione præcedentis concionis, cui adjuncta esse solet ratio institutæ repetitionis; vel à *coherentiâ* cum præcedentis concionis textu: vel à *doctrinâ*, quæ præcedente concione ob angustiam temporis non potuerit deduci, jam Exordii loco proponendâ, hac tamen observata cautelâ, ut ea doctrina, è præcedente concione relicta, non sit prorsus aliena à textu & themate præsentis: vel à *scopo textûs*, ut in parabolis; vel à *commendatione textûs* jam tractandi: vel à *Scriptura dicto*, summam textûs in se comprehendente: vel à *nomine diei Dominicæ*; vel ab *harmonia* pericopes Evangelicæ cum Epistolicâ, & contrâ: vel per *progreddendi formulam ab uno capite ad aliud*: vel à *convenientiâ* præsentis textûs cum hoc vel isto capite Catechetico &c. *In textu verò extraordinario* or-

diri solemus ab indicatione *occasionis* seu *causae impulsivae*, quâ moti præsentem textum proponimus: à *circumstantiis* personæ, loci aut temporis &c.

§. 9. *Dispositio* Concionis cùm sit vel *dogmatica* vel *textualis*, pro diversitate hujus dispositionis diversa etiam est inventio exordiorum. In *Dispositione dogmaticâ* Exordia petuntur vel à *necessitate* & *utilitate* propositionis seu doctrinæ, ubi ipsum auditorem jubemus considerare accurati⁹ præsens thema: Vel à *personâ* tùm *dicentis* quando de nostro erga auditores amore atque officio aliquid præfamur: tùm *audientis*, quando ab auditorum moderatâ laude ordimur &c. In *Dispositione textuali* unde peti possint Exordia è §. præcedente facilè constat. Sic e. g. peti possunt exordia à cognatâ textui historiâ aut sententiâ, à commendatione textus, ejusque vel dignitate, vel utilitate &c.

§. 10. *Genus dicendi*, ut è superioribus notum, quintuplex est: hinc etiã non quodvis exordium cuivis generi aptum est, ut antea §. 4. monuimus. Unde autem peti possint & soleant exordia quoad singula dicendi genera, prolixè exposuit Dn. D. Hülsemannus *Orator. Ecclesiasticæ* cap. VI Paucula saltem inde hîc añotare placet. Quod igitur attinet

Primò Genus Didascalicum, si textus ejus

Ge-

Generis sit, Exordia desumi possunt ex quocunq; Inventionis Logicæ loco, qui aliquã cum themate cognationem habet.

Deinde in Genere *Elenctico* Exordia sumi solent à studii Veritatis commendatione, vel à periculo erroris, vel à multitudine errantium, &c.

Tertiò in Genere *Pædeutico* peti possunt Exordia à dignitate, necessitate, utilitate virtutis, ad quam hortamur: ab exemplo, à iucundo &c. à Scripturæ dicto, commendante nobis hanc vel istam Virtutem, de quâ dicturi sumus, &c.

Quartò in Genere *Epanorthotico* Exordia capi possunt à dicto cominatorio, à querelâ ob pravos mores, à præsentis periculo &c.

Deniq; *Quintò* in Genere *Consolatorio* Exordia peti possunt vel ab exaggeratione afflictionis, vel à dicto quodam consolatorio, vel ab exemplis afflictorum & liberatorum, vel à Dei providentiâ & promissione &c. Plura videantur apud Dn. D. Hulfem. l.c.

§. II. *Dispositionem Exordii* quod concernit, complectitur ea

1. *πρότασις* seu propositionem, quæ est Sententia vel Verbis nostris, vel aliquo Scripturæ dicto prolata.

2. *αιτιολογίαν*, seu brevem confirmationem propositæ sententiæ.

C 4

3. αυ-

3. *ἀυξισιν*, seu amplificationem, quæ per occupationem seu aduersativam sæpissimè institui solet: quamvis & alia argumenta amplificantia hîc assumi possint, ut à testimonio, exemplo, comparatione, distributione &c. Sufficere autem hîc poterit vel unum amplificatorium argumentum:

4. *ἀπόδοσις*, seu applicationem, quâ fit transitio ad Propositionem. Hæc de Exordio.

Sequitur ergo

MEMBRUM III.

De Propositione.

§. 1. Exordium excipit *Propositio*, quæ est præcipua ac summè necessaria Concionis pars, sistens summam dicendorum.

§. 2. Hæc, juxta Alstedium, est vel *dogmatica*, vel *textualis*.

§. 3. In Propositione *dogmaticâ* dogma sive unum sive plura ex textu, observato præcipuè ejus scopo eruuntur, & tractanda proponuntur.

§. 4. In Propositione *textuali* ipse textus breviter comprehenditur, & in suas partes distribuitur.

§. 5. Propositioni adjuncta est *Partitio*, quâ certæ constituuntur Propositionis partes, vel *cognate*, circa idem objectum versantes, vel *disparate*, circa diversa objecta occupatæ. Vid. Hulsem. cap. VIII.

§. 6.

§. 6. Notanda autem sunt quædam tùm
de *Propositione* monita.

§. 7. Circa *Propositionem* nota sequentia:

I. *Propositio* fit conveniens scopo & argu-
mento textûs, atque ex textu profluat, non
autem inferatur in eundem.

II. Sit adæquata textui, ita ut cum eo re-
ciprocetur, h. e. totum textum suo ambitu
contineat.

III. Sit distincta & manifesta, ita ut audi-
tor distinctè intelligere queat, quæ sit *Pro-*
positio, seu quid tractandum proponat *Con-*
cionator.

IV. Sit perspicua, & ejusmodi verbis ex-
pressa, quæ usitata & maximè nota sunt audi-
toribus.

V. Sit brevis, ut consulatur memoriæ au-
ditoris.

VI. Præsenti quoque tempori fit conve-
niens, si commodè fieri possit, & citra di-
spendium textûs.

§. 8. De *Partitione* hæc possunt notari.

I. Faciliorem & textui convenientiorem
partitionem, iudicio Dn. D. Hulsemanni, il-
lum esse, quæ fit analyticè, secundùm distin-
cta dicèdi genera, inventiq; generis species.

II. Illam *Partitionem* esse laudandam, cui
ipse textus ansam præbet.

III. *Partitionem* ad paucissimas partes re-

digendam esse, modò id sine injuriâ textûs fiat, ita ut commodè omnia, quæ in textu habentur, ad illas partes revocari queant.

IV. Partes Propositionis, quantum fieri potest, ita digerendas esse, ut à se mutuo dependeant, ac prima pars quasi gradum præbeat secundæ, secunda tertiæ, tertia quartæ, quod monitum est Alstedii Rhetoricæ Ecclesiasticæ cap. 15.

V. Ut ipsam Propositionem; sic etiam partes ejus verbis perspicuis distinctè proponendas, nec nimio studio ὁμοιόπλητα & ὁμοιοτέλευτα confingenda esse. Vid. Baldwinus in Præfat. ad Lectorem, præfixâ Hypomnematum Homiliarum in Evangelia Dominicalia & præcipuorum festorum.

VI. Partitionem plerumque quidem immediatè annexam esse propositioni; interdum tamen etiam post votum in initio *Traditionis* afferri.

§. 9. Propositionem & Traditionem intercedere solet tum brevis *excitatio attentionis*, tum breve *Votum*.

§. 10. *Excitatio attentionis*, quando præmittitur voto, paucis verbis fieri solet, formulisq; usitatis, quarum aliquot collegit Dn. D. Forsterus in suâ Methodo concionandi.

§. 11. *Votum* nihil aliud est, quam imploratio divini auxilii, ad salutarem Propositionis

nis

nis tractationem. *Brevitas* autem & *concin-
tas* in hoc ipso maximè comendantur. *Illud*
per se patet, cum Propositioni, quæ brevis
est, prolixum votum non sit conveniens; hoc
verò etiam facile constat, quia quò concin-
nius Votum, eò magis inflammat auditores.
Formatur autè tale votum aut iisdem sem-
per verbis, quibus Spiritus S. assistentia à Pa-
tre cœlesti petitur propter Christum; aut ef-
fertur iis verbis, quæ vel in Exordio, vel in
Propositione usurpata, vel tempori præsentì
maximè accommodata sunt. Dn. D. Hülsem,
optimum esse tale votum censet, si ex summâ
partium, in concione proponendarum, for-
metur: id quod etiam aliquot exemplis il-
lustrat. Monet tamen idem Autor, non in-
concinnum esse, si nonnunquam ex generali
quodam dicto Scripturæ, quod vel attentio-
nem auditorum suscitât, vel votum ad Deum
continet, sumatur, idq; ad præsentem textum
accommodetur, præsertim si de re gravi aut
singulari nobis dicendum sit. Sic e. g. ex II.
Cor. IV, 6 tale format votum: *Deus, qui omni-
potenti Verbo suo iussit ex tenebris lucem prodire,
mittat radium claritatis suæ in corda nostra &c.*
Hæc etiam de Propositione, & huic annexis.
Pergim⁹ ad MEMBRUM IV.

De Tractatione.

§. I. *Tractatio* est Propositionis per suas

par-

partes & membra legitima deductio, verum sensum textûs sive thematis exhibens, ad salutarem usum ordinata, & commodâ conclusionem obfignata.

§.2. Tres itaque continet partes:

I. Textus & Thematis *explicationem*.

II. Explicati Textus ac Thematis *applicationem* seu usum.

III. Hisce absolutis subjunctam *Conclusionem* seu Epilogum.

PARS I.

De Explicatione.

§.1. *Ad Explicationem* vel statim acceditur, vel brevis quædam *παρασκευή* seu præparatio eidem præmittitur.

§.2. *Præparationem* hanc quod attinet, observandum hîc

1. quòd brevis & concinna esse debeat, aliàs non ornat sed deformat poti⁹ concionem.
2. quod ut plurimum absolvatur *πρότασις* & *ἀπώδεξις*. *Πρότασις* illa est sententia seu propositio quædam, viam sternens ad ipsam textûs pertractationem, desumiturq; vel à dicto quodam Scripturæ, summam text⁹ exhibente; vel ab historia quâdam, convenientiam cum textu habente: vel à *συναφεία* seu aptâ cohærentiâ textus cum præcedentib⁹: vel ab occasione textus: vel à dignitate, necessitate aut utilitate textus sive thematis tractandi; vel à partium textus enumeratione

ne

ne &c. *Ἀπόδοσις* est brevis sed apta ad ipsum textum applicatio, quæ his aut aliis ejusmodi formulis fieri solet: *Ita etiam comparatum est cum textu nostro: idem sibi vult noster textus: Videmus idem in nostro textu &c.*

§.3. *Ipsam* verò textus vel thematis ex textu eruti *explicationem* quod concernit, absolvitur ea vel nudâ tantum *paraphrasi*, quâ sensus textus aut thematis pluribus verbis, sed maximâ perspicuis, enarratur: vel etiam *analysis* textus Grammaticâ, Logicâ & Rhetoricâ. Quoad *Analysin Grammaticam*, ea, quæ ambigua sunt, evolvuntur, verusq; sensus literalis sistitur, atque emphatica, si quæ sunt, indicantur. Quoad *Analysin Logicam* præcipuè respectus habetur in historiis quidem enarrandis ad circumstantias; in thematibus simplicibus ad locos inventionis; in conjunctis verò thematibus ad subjectum & prædicatum. Quoad *Analysin* denique *Rhetoricam* ostenduntur breviter Amplificationes & Illustrationes in textu occurrentes.

§.4. Cæterum de Explicatione textus notari possunt sequentia:

I. quòd debeat esse brevis & succineta, ita tamè, ut ne quid intactum relinquatur, quod scrupulum animo auditoris injicere poterat. Atq; in *facilioribus* quidem textibus, iisque præcipuè historicis, vel sola *paraphrasis* suffi-

ce-

cere potest. *In difficilioribus* verò quando quædam difficultas atque obscuritas est in subiecto, vel prædicato, vel in utroq; aut in modo loquendi, enodanda est hæc difficultas, ac tollenda obscuritas apertâ & perspicuâ explicatione, quâ genuin^o sensus indicatur, huiusmodi formulis: *Summa igitur dictorum hæc est. Quis sensus sit textus nostri, ex jam dictis facile patet, scilicet indicatur in eo &c.* Hoc vult dicere Christus, Propheta, Apostolus &c. Breviter autem ut dixi, hæc omnia expedienda sunt, nec facile plus temporis impendendum explicationi, quàm applicationi, seu usui. Unde & hoc consequitur, *bono Concionatori in explicatione & enodatione textus abstinendum esse à nimis amplificationibus*, cum primis tunc, quando textus ipse satis dives est.

II. *Quòd debeat esse ordinata & distincta.* Unde in ipsâ quoq; Paraphrasi ordo observandus est, nec confundenda sunt, quæ erant distinguenda. Habent & hîc suum locum *subdivisiones*, quæ tamen non tam auditoris quàm Concionatoris memoriæ inserviunt. Unde cavere debet Concionator, ne nimis subdivisionibus molestus sit auditori, sed potius formulis connectendi aut digrediendi eas occultare debet, ut oratio velut secundo & continuo flumine sese cõsequi videatur. Huc referenda est etiam illa admonitio, *explicationem*

tionem textus ita debere esse distinctam, ut cum applicatione seu usu non confundatur. Interim quædam quasi semina locorum communiū hinc inde spargere potest concionator, ut auditor facile olfaciat, & quasi prævideat, quid comòdè ex præsentì textu sit eliciendū

*III. Quòd ad captum & commodum auditorū. debeat esse accommodata, & directa. Unde Bonº Concionator non proponet operosè auditoribus suis singularū vocū textus Grammaticam evolutionem, sive quoad etymologiam, sive quoad homonymiam &c. Sed si quid necessarium monitu, breviter ad captū & commodum auditoris monebit. Deinde etiam artificium Logicum & Rhetoricum occultabit potius quàm manifestabit. Porro varias variorū interpretum opiniones haut afferet, sed genuinam potius & textui convenientissimam interpretationem feliget, ac populo inculcabit. Deniq; si præsentì textui sinister sensus affingatur, erroneus refutandº breviter, & postea verus subjiciendus hac vel aliã formula: *Non juxta mentem Calvinianorum aut Pontificiorum &c. hoc explicandum, quia &c. sed &c.**

IV. Quòd non supràmòdum debeat esse ornata, sed mediocriter flosculis Rhetoricis vestita.

§. 5. Argumenta, deducendo themati infervientia, sunt vel insita, vel assumta. Atque in
Di-

Dispositione quidem *textuali* argumenta textui insita sufficiunt, si parallelis solum dictis, exemplis & similitudinibus aptis illustrentur: in *dogmatica* verò, quando thema unum ex textu selectum luculenter & per integrum locum comunem tractandum proposuimus, argumenta non solum insita, sed & assumpta ex aliis Scripturæ capitibus usurpanda sunt. De argumentis verò illis sive explicantibus, sive declarantibus, sive probantibus, sive amplificantibus supra Articulo I. dictum est. Hic saltem notamus.

I. Explicationi textus præcipuè inservire collationem præsentis textus cum aliis textibus Scripturæ, qui cum præsentis textu sive themate pugnare videntur, nec non similitudines ac exempla, potissimum sacra.

II. Ad demonstrationem thematis dicta & exempla sufficere, nec expositione opus esse, cum textus vel fidei aliquem articulum, vel præceptum aliquod morale continet, & per se clarus est.

III. In probando themate per argumenta insita ita procedendum esse: *Primum* concepto dicendi genere scopum sibi figat concionator, & quam speciem inventi generis sectari velit, probè apud animum cõstituat. *Deinde* scrutetur textum, & quot argumenta ex his, quæ supra cuilibet generi inservire posse

posse
quir
Scri
Quo
amp
tinea
anag
diver
stant
de eo
Eccle
IV
tione
tur, s
com
pact
them
do ve
textu
tract
unde
entia

§.
toru
cessa
tota
sit, ut

posse dictum est, ex textu desumi possint, inquirat, eaq; ordine collocet, & singula dictis Scripturæ, exemplis & similibus confirmet. Quomodo præter hæc argumenta thema amplificari possit, sub quocunq; etiam contineatur dicendi genere, per *allegoriam*, per *anagogiam*, ex locis personarum & rerû, per diversas proponendi formulas, per circumstantias, per figuras dictionum aut sententiæ, de eo videatur Dn. D. Hülsemannus Orator. Ecclesiasticæ cap. IX. pag. mihi 113. seqq.

IV. Hanc esse optimam confirmandi rationem, quando argumenta ex textu eruuntur, singulaq; dictis Scripturæ parallelis & commodis exemplis muniuntur: atq; hoc pacto argumenta insita sufficere possunt ad thematis propositi confirmationem. Quando verò occasione *unius voculae*, quæ fortè in textu extat, universum locum communem tractare proposuimus, necessum est, ut aliunde argumenta petantur, textui convenientia & apta.

PARS II.

De Applicatione.

§. I. *Applicatio* est textus expositi ad auditorum usum accommodatio, quæ summè necessaria est, & negligi non debet. Cum enim tota Scriptura S. ad salutarem usum directa sit, ut notû est ex II. Tim. III. 16. Rom. XV, 4.

D

de

de eo etiam sollicitus esse debet bonus Concionator, ut usum ex textu vel themate explicato rectè deducat.

§. 2. Est autem usus vel *Theoreticus* vel *Practicus*. Ad *Theoreticum* pertinet διδασκαλία & ἔλεγχος; ad *Practicum* spectat παιδεία, ἐπινοήσεις & ὑποθέσεις.

§. 3. Ejusmodi usus colliguntur ex textu, vel per deductionem unius generis ex alio, vel per translationem thesæ ad hypothesein, & contrà; vel per deductionem conclusionum ab ipso textu suppeditatam.

§. 4. Canones hîc observari possunt sequentes:

I. Loci communes sponte suâ fluant è textu, ne usus & applicatio à textu sit remota.

II. Si multi loci communes sese offerant, non omnes & singuli erunt tractandi simul, sed principales & magis necessarii à minùs principalibus distinguendi: illos urgere, hos inspergere debet Concionator: nisi fortè temporis, loci ac personarum ratio aliud suadent. Unde non est vertendum vitio Concionatori, si quandoque minùs principalem locum paulò latius tractet, principalem verò saltem tangat, cùm videat, id ratione hujus temporis, aut harum personarum necessarium esse ac summè proficuum.

III. Non omnia, quæ de loco aliquo com-

mu-

muni dici queunt, pro concione enarranda sunt, sed ea, quæ necessaria & textui accommodata.

IV. Applicatio ad usum certo fiat ordine: ubi tamen libertati & prudentiæ Concionatoris hoc relinquitur, quem usum primo, aut secundo, aut tertio loco tractare velit.

V. In applicatione semper verba textus probè inculcentur.

VI. Quilibet usus nunciatur Scripturæ dictis, exemplis ac similibus appositis, si quæ sint in promptu.

VII. Applicatio ad praxin magis urgeatur, quàm ad theoriam, &c.

§. 5. *Situm applicationis* quod attinet, additur usus vel singulis partibus textus, e. g. primâ parte textus explicata additur ejus applicatio seu usus, & sic porrò: vel omnium partium explicatione absolutâ, subjungitur demum usus.

§. 6. Ipsam porro *per tractationem loci communis* quod concernit.

(1) breviter summa ejus sistitur.

(2) uberius explicatur, per argumenta explicantia, & confirmatur per argumenta præcipuè insita, deinde & per assumpta scilicet dicta Scripturæ appositè citata, exempla commoda, & certa documenta.

(3) Illustratur per similitudines, allegori-

as, dicta Patrum, figuras &c. In quibus omnibus tamen modus est servandus.

§. 7. *Applicatio denique loci communis fieri debet ad auditores (vel per prosopopœiam, vel per theses ad hypothesein translationem) ubi valdè juvat Concionatorem, si in singulorum statuum sive ordinum conditionem inquisiverit, ut tempori ac personis convenientia moneat. Verba autem textus hinc precipuè urgenda sunt, ut Deum ipsum loqui auditor intelligat.*

§. 8. Cæterum ut in specie constet Concionatori, quomodo in singulis usibus, διδασκαλία, ἐλέγχω, παιδεία, ἐπανορθώσεις & ὁδοκλήσεις procedere debeat rectè, pauca de singulis hinc sunt monenda.

§. 9. Quod igitur primò usum *Didacticum* attinet, sequentia notari possunt monita:

I. Quando ipse textus articulum aut dogma fidei in sese continet, minùs aptè fit applicatio didascalias hoc modo: *Discim⁹ hinc, hunc vel istum articulum fidei; sed ita: Videtis hinc, dilecti, quàm clarè & solidè fundetur hic vel iste articulus fidei in nostro textu. vel ita: Quod hinc docetur in nostro textu, id Spiritus Sanctus etiam alibi in Sacrà Scripturâ docet & confirmat &c.*

II. Probationes firmæ sunt afferendæ, atq; allegoriæ parcè usurpandæ.

III. Ad



III. Ad eam potissimum doctrinam fieri debet applicatio, quæ à Christiano citra juramentum salutis non potest ignorari.

IV. Ostendendus Usus loci propositi in capitibus catecheticis, commendanda insuper doctrina proposita, & instituenda adhortatio ad constantiam.

V. Formulæ, quibus hîc uti solemus, vel continent prædicationem nostræ felicitatis, vel gratiarum actionem, pro doctrinâ hac à Deo revelatâ, vel precessionem, ut Deus conservare hanc doctrinam in Ecclesiâ suâ sanctam tectam velit.

§. 10. *Deinde quoad usum Elencticum hæc sunt notanda:*

I. Errores nec obsoleti sunt refutandi, nec novi, si nondum innotuerint; sed illi errores potissimum refutentur, qui notorii, & à quibus periculum imminet.

II. Non facile ad Elenchum seu refutationem descendatur, nisi manifestum det ansam ipse textus.

III. Refutatio sit perspicua & solida.

IV. Sit modesta & sine calumniâ fiat.

V. Formulæ hîc usitatæ continent vel deplorationem erroris adversariorum, atque additam admonitionem, ut auditores Deum pro adversariis illuminandis orent; vel gratiarum actionem, quòd Deus ab hoc vel isto

errore nos immunes servaverit: vel adhortationem, ut auditores sibi caveant ab hoc vel isto errore, ne seducantur.

§.II. *Tertiò* in usu *Pædæutico* sequentia sunt attendenda:

I. Status & conditio auditorum probe observetur, unde colligere poterit Concionator, ad quid potissimum sint hortandi.

II. Necessitas hujus vel illius boni operis, ad quod hortamur, urgeatur, adeoque indicetur, quid fieri à nobis debeat, & quales esse debeamus.

III. Argumenta inducentia seligantur.

IV. Obstacula seu impedimenta, quibus mediis removeri possint ac debeant, ostendatur.

V. Formulæ adhortatoriæ adornantur vel per prosopopoeiam, vel per hypotyposin, vel per exclamationem, vel per communicationem &c.

VI. Adhortatio concludi solet precatione, ut Spiritus S. nos in suis viis deducere velit, &c.

§.12. *Quartò* quoad *ἐπιτιμωτικὴν* observationem merentur sequentia:

I. Nullum taxandum esse nominatim.

II. Peccata inter auditores frequentiora esse corrigenda.

III. Correctionem esse debere ponderosam.

fam.

fam, constantem vehementiore motione affectuum, argumentis maximè moventibus, & peccati pœnarumque gravitatem per hypotyposin sistentibus.

IV. Objurgationem laudari moderatam, quæ ut talis sit, obtineri potest, si istam per querelam instituamus, si personam nostram immisceamus, si ipsos, quos reprehendimus, iudices faciam⁹, si Scripturam ipsam loquentem introducamus, si nos excusemus, indicantes causam, cur alios objurgemus, si deniq; objurgationi subjiciamus consolationem pro fractis animis. Quæ sunt observationes Alstedii in Rhetoricâ Ecclesiasticâ cap. XV. pag. mihi 255.

V. Formulas in usu Epanorthotico institui vel per Interrogationem, vel per Communicationem, vel per Hypotyposin, vel per obrestationem, aut alium convenientem modum.

§. 13. Quintò deniq; circa usum *consolatoriũ* hæc moneri solent:

I. Usum hunc in Concionibus frequentissimum esse debere. Monet hoc inter alios B. Lucas Osiander l. c. p. 44. ubi hæc ejus sunt verba: *Sive pauciores, sive plures loci tractentur, semper studendum est, ut aliquid solidæ consolationis (pro perturbatis conscientis & hominibus afflictis) admisceatur.*

D 4

II. Con-

II. Consolationem adhibendam esse in pre-
 catione, cruce, tentatione & morte.

III. Infirmos consolatione erigendos,
 non autem impios & impoenitentes.

IV. Consolationem, ut solida sit, maximè
 efficacibus & moventibus argumentis ad-
 ornandum esse.

V. Consolationem, monente Abstedio,
 duabus afferri partibus, cogitatione & Dia-
 logismo. Per *Cogitationem* ob oculos ponitur
 efficacia Consolationis divinæ hoc vel alio
 modo: *Cogita, devota anima, quàm suavis hoc
 sit promissio Dei, quàm suaviter te cōsoletur &c.*
Dialogismus est, quando afflicto applicat si-
 bi consolationem, hoc aut simili modo: *Cūm
 Deus tam suaviter me. consoletur, quid tristis es
 anima mea? &c.*

VI. Consolationem facilè mutari in pre-
 cationem quâ oramus, ut Deus ipse nos con-
 solare velit.

VII. Formulas Consolatorias fieri vel per
 commendationem præsentis textûs & con-
 solationis inde fluentis, vel per amicam al-
 locutionem auditorum, vel per exclamatio-
 nem, vel per gratiarum actionem, quòd De-
 us tam efficaciter nos consoletur, &c.

PARS III.

De Conclusionē.

§. I. *Conclusio est illa concionis pars, quâ fi-*
 nis

nis imponitur Concioni, estque vel *propin-*
qua, vel remota:

§. 2. *Propinqua* pertinet ad Tractationem
Concionis, quâ illa velut sigillo obfirmatur.
Et institui solet ista variis modis: vel ex ab-
rupto; vel dicto aliquo insigni, summâ Con-
cionis continente, aut aliâs acumen quod-
dam habente ad commovendos auditores:
vel petitur conclusio à futuro bono ineffa-
bili, vel damno intolerabili, additâ, coronâ-
dis loco, aut affectuosâ exhortatione, aut
dehortatione. ut: *Qui habet aures ad audien-*
dum, audiat: dilecti, fugite, cavete à peccato &c.
aut *δοξολογία*, aut precatione & voto, ut: *ob-*
signa hæc, O Deus, in cordibus nostris! vel, quæ
optima concludendi ratio est, ab *ἀνακεφα-*
λαιώσῃ seu brevi repetitione tum partium
tum argumentorum potissimorum, quorû
maximè volumus meminisse auditores, ad-
jecto simul Epiphonemate: *Quis hoc non cre-*
dat? Quis non consentiat? Quis non obsequatur?
aut simili: additâq; adhortatione Patheticâ
ad auditores, ut altâ mente reponant ea,
quæ fuerunt dicta, nec non oratione ad De-
um, ut ipse perficere velit bonum op^o, quod
cœpit &c. Patent hinc virtutes conclusio-
nis, quarum sunt præcipuè tres:

I. *Brevitas*, ut potissima ex dictis conciso
ordine repetantur.

D 5

2. *SUA-*

2. *Suavitas*, ut aculeus relinquatur in auditorum animis. Quò præcipuè facit regula Alstedii, quâ docet, insigne aliquod atque eminens, quod antea in tractatione non sit auditum, reservandum esse ad epilogum idque dicendi genere graviori, interrogationum & exclamationum figuris constante, exornatum proferendum esse.

3. *Gravitas*, quâ motu alacriori & vehementiori ad devotionem excitantur auditores.

§.3. *Remota Conclusio* sive peroratio non pertinet ad contextum orationis sacræ, sed tractationem finitam proximè insequitur. Complectitur hæc

1. *Gratiarum actionem*, quâ Deo gratias agimus pro revelatione verbi sui, & concessâ nobis gratiâ in concione præsentî.

2. *Precationem*, quâ petimus à Deo, ut verbum suum nobis cedere faciat in odorè vitæ & salutis sempiternæ, & commendamus ei tres hierarchias, nec non miseriam & desideria nostra eidem exponimus in Oratione Dominicâ.

3. *Votum* sive *Comprecationem* ad auditores, quæ est vel *communis*, desumpta ex Phil. IV, 7. I. Thess. V, 23. aut aliunde; vel *propria* & peculiaris congrua textui explicatio, e. g. Si quis de bono Pastore, Christo, ex Joh. X. cõcionatus sit, totam concionem concludere pote-

poterit voto ex Ebr. XIII. 20. 21. Et huc usq;
de Tractatione & ejus partibus dictum esto.

Appendix Articuli II.

De Elocutione.

§. 1. Haecenus de duobus officiis Boni Cō-
cionatoris dictum est, nempe de *Inventione*
& *Dispositione*, circa res ipsas occupatis. Jam
etiam de *Elocutione*, quæ tertium Conciona-
toris officium est, & de apto sermonis gene-
re, quo res concionis proferendæ, agit, ali-
qua sunt monenda.

§. 2. Est autem *aptum sermonis genus* in
Concionibus adhibendum:

I. *Simplici stylo Scripturæ S. & præcipuè Ger-
manicæ versioni* (instruitur enim hac Idea
Boni Concionatoris studiosus, Germanicè
ad populum verba facturus) & *scriptis Ger-
manicis B. Lutheri congruum*. Videatur hîc o-
mnino Dn. D. Calovius, Præceptor noster
plurimum venerandus, in suâ Pædiâ Theo-
logicâ, de Methodo studii Theologici, p. 84.
seq. ubi hæc habet: *Non requirimus, ut quis
sectetur lepores, Veneres & elegantias Opitii,
nedum ut certet cum aliis de palmâ in adornan-
dis concionibus juxta stylum Opitianum, quod
cacoëthes nonnullos invasit; sed ut puritati &
perspicuitati, & ornatui decenti lingue Verna-
culæ Germanicæ studeat, quæ præter communem
usum è lectione Scriptorum Germanicorum B.*

Lus.

Lutheri (quæ præ aliis excellunt in εὐεργεία & elegantia linguæ Germanicæ) haberi potest.

2. *Rebus exprimendis attemperatum.*

3. *Purum*, juxta probatum idiotismum, nõ autem barbarum, aut tale, quale inter lixas & calones aut rusticos in usu est.

4. *Perspicuum*. Vitabit itaque Concionator affectatam (plenam sapius arrogantia) styli elegantiam, & luxurians dicendi genus. Audiamus hîc iterum Dn. D. Calovium, qui loco citato hæc addit:

Nimia luxuries, phrasæq; Alamodice in Linguâ vernaculâ, quæ sæpè scandala præbent, raro fructum ferunt, non tam sectanda, quàm fugiende.

5. *Castum & verecundum*. Spurca & obscæna in sacris Concionibus non audiantur. Sed & scurrilia, aut alia, quæ risum potius moveant, quàm pium Zelum in auditoribus excitent, à Concionibus sacris abesse debent, uti graviter censet ac monet Dn. D. Lucas Osiander l. c. p. 73. seq.

6. *Ornatum*, tum per tropos & figuras, tum per convenientes formulas, in connexionibus præcipuè adhibendas.

7. *Patheticum*, seu movens affectûs.

8. *Decorum* ut habeatur ratio circumstantiarum, temporis, loci ac personarum.

§. 3. In specie quoad exornationem per tropos & figuras notari potest ex Alstedio: 1. Ex

1. *Ex Tropis in Concione maximè domi-
nari Metaphoram.*

2. *Ex Figuris dictionis præcipuè usurpan-
das.*

(1) *Climacem*

(2) *Anaphoram.*

(3) *Paronomasiam.* Adde, *Epizeuxin* & *Epi-
strophem* quandoque non inconcinnè adhi-
beri posse.

3. *E Figuris sententia undecim esse potissi-
mas:*

(1) *Exclamationem*, quæ tamen moderatè
adhibenda. Nam accumulatae Exclamatio-
nes interrumpunt contextum.

(2) *Interrogationem,*

(3) *Apostrophem.*

(4) *Compellationem*, quâ ipsis auditoribus
rè cognoscendâ & judicandam comittim⁹.

(5) *Obsecrationem.*

(6) *Adjurationem*, cum auditores obtesta-
mur per Dei nomen: id quod fit in rebus
maximi momenti.

(7) *Optationem.*

(8) *Sustentationem*, quâ suspendimus diu
auditores, ut: Quid censetis? Num divites
sunt beati? Num qui sapientiâ pollent?

(9) *Dialogismum*, seu sermocinationem,
quando Personis tribuitur sermo.

(10) *Prosopopæjam*, quâ sermonē attribui-
mus mortuis & inanimatis.

(11) *Ad*

(II) *Admirationem*, ut quando ingentem Dei amorem, aut hominum extremam securitatem &c. demiramur.

Plura huc facientia, inprimis autem quæ de formulis & motione affectuum observatu digna sunt, legantur apud Dn. D. Hülsem. in Methodo concionandi cap. X, XI, & XII. Nobis hæc paucula notasse sufficiat. Atque ita Sectio prior de formandâ Concione est absoluta. Sequitur brevissimè.

SECTIO POSTERIOR.

De Requisitis, ad Concionem habendam spectantibus.

§. 1. Ad Concionem habendam seu promulgandam tria requiri, scilicet *Memoriam*, *Pronunciationem*, & *Gestus*, supra dictum est.

§. 2. Cùm non ex chartâ, sed ex memoriâ Concio recitanda sit, requiritur, ut Concio memoriæ sit impressa fideliter, ut promptè illius reminisci, ac reddere eam possimus. Inprimenda autem memoriæ tum *dispositio*, tum *res* maximè memorabiles, tum *verba*, si non omnia, saltem insigniora & *εὐφαινώτερα*. Huc spectant hæc admonitiones:

I. *Dicta Scripturæ fideliter memoriæ esse imprimenda*, ut quoad eadem verba formalia, quibus proposita sunt in Bibliis Germanicis B. Lutheri, recitari queant.

II. *Novello Concionatori Concionem ad verbum*

bum esse ediscendam, donec progressu temporis per crebram exercitationem magnum verborum apparatus sibi comparaverit, cuius beneficio possit res in concione habenda contentas verbis aptis exprimere, etiamsi se non adeo adstringat illis verbis, quibus usus est in elaboratione Concionis.

III. Ut Concio recte & facile imprimatur memoria, servandum esse ordinem, ita ut partes eo, quo in Concione elaborata sese consequuntur, ordine non tamen simul, sed successive una post alteram, memoriae infigantur: ut autem fideliter a memoria conservetur, quod ei impressum est, requiri diligentem repetitionem: ut denique prompte reddat memoria suum depositum, crebra opus esse exercitatione.

§. 3. *Pronunciationem* quod attinet, sequentia notamus:

1. *Vocem naturalem, que caret vitio, cuius esse retinendam, nec alterius pronunciationem esse affectandam. Imitatio enim inepta & affectatio plerumque superbiam spirant, verba Lucæ Osiandri l. c. p. 83.*

2. *Pronunciationem ad usum & autoritatem esse restrictam, quoad Syllabarum vel productionem vel correptionem. Quo etiam referri potest hæc observatio, ut periodorum, colonum & commatum debita habeatur ratio.*

tio. Neq³ enim illa distinctiones per pronunciat-
tionem ineptam sunt confundendæ: sed respira-
tio quadam inter illas distinctiones est interpo-
nenda, mediocris quidem inter paragraphos, &
precipuas Concionis partes: brevior inter perio-
dos: rursus brevior inter cola: brevissima vero
inter commata. Uno spiritu loquendum usq³ ad
comma: atque ab uno commate ad alterum &
tertium est progrediendum. Cavendum itaque
(quoad ejus fieri potest) ne Concionator nondum
absoluto commate respiret, uti monet Osian-
der l. c.

3. Pronunciationem debere esse claram, arti-
culatam & distinctam, ut omnes Syllabæ di-
stinctè audiantur, nullæ absorbeantur. Ca-
veat ergo Concionator, ne in pronuncian-
do se præcipitet. Neque etiam nimis lenta
& tarda sit pronuntiatio.

4. Monotoniam cumprimis cavendam esse,
utpote quâ auditoribus tædium ac torpor
aliquis inducitur (sive jam illa monotoniâ
seu urifonus sit continuus clamor, seu conti-
nuum murmur, seu vox querula.) Vid. Hül-
semannus p. 201. ubi hæc addit: Quando am-
plificatione utimur, etiam vox amplianda est,
quando sententiam recitamus, si lepida sit, expor-
rectâ fronte & sibilanti quasi voce proferenda
est; si gravis & acerba, lentè & meditato quasi;
si dolorem exaggeremus, voce lentâ & querulâ u-

ten-

utendum; si letitiam, oculis & ore apertis, magnifico orationis genere incedendum, atq; ita deinceps. Hæc Hülsemannus.

5. *Requiri, ut pronuntiatio sit apta & conveniens rei sive materia, quam tractamus, sive de quâ loquimur. Hinc potest Concionator voce suâ uti hilariter, flebiliter, severè &c. prout res ipsa postulat. Optimè autem hîc moderatio vocis instituitur juxta naturale judicium & quotidie spectatos hominum mores. Sic e.g. quando læti sumus, solemus plenè, magnificè, hilariter & clarè dicere: quando indignamur, solemus verba cum impetu & festinatione protrudere: quando rogamus quempiam, blandè ac submissè hominem alloqui consuevimus: quæ laudam⁹ aut admiramur, solemus sonorâ, tardâ & sublimi voce proferre &c. Quidni pro Concione idem discrimen servandum fuerit? Verba sunt Dn. D. Hülsemanni cap. XIII.*

6. *Nomina propria, Comparativos, Superlativos, Pronomina, Interjectiones, quin omnia emphatica (in quibus aliqua excellentia & efficacia significationis inest) voce pleniore, clariora, syllabarumque quodam tractu quasi melodico, proferenda esse.*

7. *Vocem Tropis & Figuris commensurandam esse. Tropi voce pleniore & erectiore proferantur. In Figuris dictionis crescat vox cum di-*

E

tio

tionibus repetitis. *In Figuris sententiae* Vox varianda est variè, prout variæ ejusmodi sunt figuræ. Sic pro *varietate materie*, de quâ loquimur, vox quodammodo variat. e. g. in *faciendo* & *petendo* Vox sit lenis & submissa; in *miseratione* flebilis, interrupta; in *suadendo*, *monendo*, *promittendo* gravis & fortis: in *consolando* tristis & submissa: in *laude* & *gratiarum actione* læta, magnifica & sublimis; in *irâ* acuta, incitata, nutans, vacillans.

8. Pro diversitate partium Concionis vocem quoq; moderandam esse, hunc fermè in modum:

(1) *In Præloquio* seu introitu vox sit submissa & verecunda. Ubi tamen pro diversitate specialis introitus vox diversimodè sese habere debet. Sic e. g. in diebus festis læta vox sit, in Concionibus funebribus querula &c.

(2) *Textus* voce tardâ, clarâ, & mediocriter elevatâ legendus est.

(3) *In Exordio* vox sit lenis, clarior tamen, quàm introitu & submissior, quàm in lectione textus. In primis verò hîc cavere debet Concionator, ne in Exordio clamosa vox sit, & pro vectiore oratione macerare se cogatur, id quod multis accidere solet.

(4) *Propositio* voce lentâ, clarâ & nonnihil elatâ pronuntianda est.

(5) *Votum* pronuntiatione quodammodo submissâ efferre convenit.

(6) *In*

(6) *In Explicatione textus* vox sit simplex & aperta.

(7) *In Confirmatione* pronunciatio sit acrior quidem ; varianda tamen pro ratione materiae.

(8) *In applicatione* diversimodè sese habere debet pronunciatio, prout ipsa applicatio est diversa. Sic *διδασκαλία* instituitur voce aequali & moderatâ: in Confutatione vox sit agilior, severior & concitator. In usu Pædeutico vox sit gravis & fortis. In Epanorthotico pronunciatio sit gravis & severa, interjectis nonnunquam blandis vocibus, ac si obsecremus auditorem per salutem suam ex II. Cor. V, 20. In Consolatione vox sit lenis, suavis & apta consolationi, prout natura ipsa docet.

(9) *In Conclusionem*, quasi jam partâ victoriâ, non quidem clamosa, sed excitata & quasi triumphans vox sit.

(10) Post Concionem in gratiarum actione, precatatione & voto, pronunciatione leni & submissâ utatur Concionator, ita tamen ut ab auditoribus percipi possit.

§. 4. *Gestûs* quod concernit, sigillatim de illis aliquid præscribi vix potest, cum non quivis cuius gestûs conveniant. Hæc tamen notamus:

I. *Gestibus modicè ac graviter est utendum.*

E 2

Non

Non sint ergo nimii & leves, histrioni potius convenientes quàm Concionatori, ne prædicationis & Concionis dignitas vilescat. In vultu & sermone (Concionatoris) sit modestia & gravitas digna Theologo, qui meminerit, se non propriam suam causam agere, sed esse cancellarium Dei Opt. Maximi, cuius nomine ad populum loquitur, scribit Osiander l. 7. p. 83.

II. Mansueti & compositi totius corpori gestus Concionatorem Evangelicum maxime ornant.

III. Vitiosi gestus sunt vitandi, ne e. g. aliquid in terrâ factum ostensuri digitum in cælum intendamus: ne suggesti marginem frequenter percutiamus, ne lambamus aut mordeam⁹, ne subsiliamus aut discurremus inter dicendum &c. Notanda hinc iterum sunt, quæ habet Lucas Osiander l. c. pag. 86. Quidam (inquit) sese nunc ad dextram, nunc ad sinistram vertant: ita, ut, qui illis à dextris sunt, dimidiam tantum partem Concionis audiant: & qui sunt à sinistris, & ipsi non nisi dimidiam Concionis partem percipiant. Itaque rectius faciunt, qui uno in loco consistunt, & ad eam templi partem faciem semper convertunt, ubi confertissimi sunt auditores.

IV. Gestus respiciunt habitudinem vel totius Corporis vel partium ejus.

Corpus quod attinet, sit illud in suggestu erectum, paulum ad marginem suggesti inclinatum, & ad auditores directum. Par-

Partes quod concernit, requirunt au-
tores.

Caput leniter & tardè motum,

Vultum liberalem & virilem,

Frontem apertam, & non nisi in tristiori-
bus atque indignatione corrugandam:

Oculos apertos, mites, leniter motos,
turbidos in rebus tristibus, lätos in lätis,
asperius figendos datâ occasione indi-
gnandi.

Oris figuram rotundam, non passam, nisi
in vehementi exclamatione:

Cervicem erectam:

Humeros statos, non allevatos, non con-
tractos:

Pectus non projectum seu prominens, nec
tundendum, nisi in vehementi asseveratione
aut contestatione propriæ conscientix.

Brachia moderatè movenda, per proje-
ctionem in violentâ dimissione, per remis-
sionem in desperationis figuratione.

Manus ita movendas, ut motus à sinistra
parte incipiat, à dextra autem parte desi-
nat.

Digiti indicis porrectionem in admiratio-
ne, projectionem in comminatione:

Pedum denique stationem.

Ap-

Appendix Sectionis poste-
rioris,

De Concionis quantitate seu duratione.

Ultimo denique loco aliquid addendum est de *Concionis quantitate & duratione*. Quoad Concionem enim habendam id cum primis observandum est, *ne sit nimis proluxa*. Non defunt quidem *exempla Concionum paulo longiorum*, qualis est illa Christi descripta à Matthæo cap. V, VI. & VII. Uti etiam Marcus de Christo scribit cap. IV, v. 2. quòd docuerit populum in parabolis multa. Lutherus vertit: Er prediget ihnen lange durch Gleichnisse: qualis etiam Pauli, de quo Act. XX. v. 7. scriptum est, quòd protraxerit sermonem usque in mediam noctem; unde non statim vitio vertendum est Concionatori, si quandoque, pro re natà, Concio ejus paulo sit proluxior: tamen *justa brevitatis Concionum plerumque vel maximè laudatur*. Videatur hîc Pastorale Lutheri M. Conradi Portæ (quem librum auro contrà carum S S. Theologiæ atque Exercitii Concionandi Studiofis iterum iterumque commendo) p. 34. ubi inter alia adducit Dn. D. Hieronymum Wellerum, hac de re sic loquentem: *Illud sem-*

Semp
xasC
tis lo
Mem
quen
nari
Ubi
omni
cunt
rump
tatem
proba
nôru
ba D
Portæ
Luca
sic lo
quand
tracta
perma
Non e
cione
lus ser
ditus
sunt C
cio m
saria
runde
Pla

Pla

*Semper studio habebit Pastor, ne nimium proli-
 xas Conciones habeat, nec obruat auditores mul-
 tis locis tractandis, ut eos tedium verbi capiat.
 Memini D. Lutherum dicere ad Theologum
 quendam; cui mos erat ad duas ferè horas concio-
 nari: Vos facitis tedium verbi. Hæc Wellerus.
 Ubi porro rem declarat simili: Ut hi (inquit)
 omnium optimè Musicis instrumentis ludere di-
 cuntur, qui, cum dulcissima est cantilena, ab-
 rumpunt eam, ut acuant in auditoribus avidi-
 tatem auscultandi: ita Concionatores maximè
 probantur, qui nōrunt, quid sit satis, hoc est, qui
 nōrunt & incipere & desinere. Huc usque ver-
 ba D. Hieronymi Welleri, à M. Conrado
 Portâ l.c. adducta. Gemina his habet Dn. D.
 Lucas Osiander libello sæpiùs citato p. 43.
 sic loqueus: Coram simplici plebeculâ satis est,
 quandoque unum, duos aut tres locos communes
 tractare. Et post pauca: Brevitas temporis non
 permittit, ut de multis rebus copiosè agatur.
 Non enim eorum consuetudinem probo, qui con-
 cionem ultra horæ spacium extendunt: quia nul-
 lus sensus hominis citiùs defatigatur, quàm au-
 ditus: & apud nos (Dei beneficio) frequentes
 sunt Conciones: & horæ vel dimidiæ etiam, spa-
 cio multa dici possunt saluberrima, si non neces-
 saria omittantur, & odiosa atque ingrata ea-
 rundem rerum repetitiones vitentur.*

Placet etiam hîc addere eris quæ huc fa-
 cien-

cientia affert Dn. D. Daniel Cramerus in sua
 Methodo concionandi, ubi ad Quæstionem
 hanc; *quàm diu protrahenda concio?* sic re-
 spondet: *Basilii verba hæc extant in sermone 2.
 super Psalm 14. quem sic orditur: Hesternâ die
 sermonem apud vos habuimus, quem sub hora
 spacio absolvere nequivimus. Nunc ergo reliqua,
 quæ restant, exsoluturi venimus. Ex quibus ver-
 bis colligimus, inde usque à Basilii temporibus
 ad nos traductam esse hanc consuetudinem, in-
 tra hora spacium finire concionem. Nam ut Ec-
 clesiastes inquit cap. 3. v. 1. & 7. Omnia tempus
 habent: Est tempus loquendi & tacendi. Huc
 usq; Cramerus, apud quem plura videri pos-
 sunt.*

CONCLUSIO OPUSCULI.

Hæc sunt, quibus Ideam Boni Concionã-
 toris exhibere volui, tum ex Optimorum
 Autorum libris excerpta, tum ex vivorum
 præceptorum monitis hausta, tum etiam ex
 Concionibus Doctorum Virorum, in con-
 cionando artificum, observata.

Faxit DEUS, fons bonitatis, ut hæc ipsa cæ-
 dant in Nominis sui Sanctissimi gloriam,
 atque Ecclesiæ emolumen-
 tum!

SOLI DEO TRINUNĪ
 GLORIA!


Ff 2522


ULB Halle 3
005 012 694



Sb.

V077





Fl 3346 = ^{anz} ~~3.~~ b

IDEA
BONICON-
CIONATORIS,
Proposita
à
M. PETRO ERNESTO
IWE BOMIO, Hildesiae in
Patria Pastore Martiniano.

WITTEBERGÆ,
Sumtibus Hærad. D. Tobiaæ Mevii,
& Elerti Schumacheri.
Typis Heredum Melchioris Oelschlegelii,
ANNO M. DC. LX.

